

**De pollutione diurna frequentiori sed rarius observata tabescentiae caussa  
/ [Ernest Wichmann].**

**Contributors**

Wichmann, Ernest, 1740-1802.

**Publication/Creation**

Goettingae : J.C. Dieterich, 1782.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/txfmm84a>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

46  
ILLVSTRI  
PHIL. G. HENSLER M. D.  
REG. DAN. CONSILIARIO ET  
ARCHIATRO, MEDICO APVD  
ALTONANOS FELICISSIMO,  
AMICO VETERI,


DE  
POLLVTIONE  
DIVRNA

FREQVENTIORI SED RARIVS  
OBSERVATA TABESCENTIAE  
CAVSSA

IOH. ERN. WICHMANN M. D.  
AVLAE HANNOVERANAE MEDICVS,  
SOCIET. REG. SCIENT. GOTTING. COR-  
RESP. ET NATVRAE CVRIOSOR. BE-  
ROLINENS. SODALIS.

---

GOETTINGAE,  
Apud IO. CHRIST. DIETERICH.  
1782.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30792538>



---

**Q**ui causas morborum penitus  
indagare, et philosophice  
mederi illis soles, optime HENS-  
LERE, haud inutiles vel super-  
fluas invenies, confido, observa-  
tiones, quae communis ac frequen-  
tissimae morborum speciei ignotam  
fere causam exactius manifestant,  
Tabescentiae nimirum et pedisse-  
quae saepius Phthiseos verae, vel  
Tabis plerumque letalis. Nec aliis



medicis ingratas fore has observationes spero, quo certius oculatissimorum medicorum aciem fugit morbi causa, quam depingere **TIBI** animus est, et autores ipsi, qui ex professo argumentum simile, de Gonorrhoea vera simplici, de Onanismo, Pollutione nocturna, aliisque huc pertinentibus pathematibus, pertractarunt, intactam hanc singularem pollutionem diurnam silentio praetereunt. Nec mirum, quum incio ipso aegroto contingat, et medicum lateat laevissimum eius vestigium, nisi  
mor-

morbum antea suspicatus aegroti  
fui attentionem in malum excitet.  
Digna igitur esse videtur non so-  
lum argumenti gravitas sed et dif-  
ficultas vel raritas in quam ma-  
iori studio in posterum medentes  
inquirant. Caeteroquin morbum  
iam describendum unice in Sexum  
potiorem cadere, et esse jacturam  
veri feminis virilis, non opus est  
monere sed neutiquam confunden-  
dum eum esse cum similibus, pollu-  
tione nocturna, Gonorrhoea sic dicta  
simplici, cum onanismo etc. jam  
in limine praemonendum esse cen-



---

feo, ne argumentum pro eodem habeas, quod jam vberius, tantaque cum laude excussit ill. TISSOT, vt nihil adjiciendum reliquerit.



## §. I.

## Diagnofis.

Differt enim Pollutio haec diurna

a) a nocturna, non solum diei tempore, fed quia apertis aegri oculis, absque tentigine venerea et absque colis erectione contingit. Multo minus ergo cum illa feminis effusione convenit, quam experiuntur interdum Salaciores, qui sub protractis confabulationibus lascivis et contrectationibus indecoris non tantum liquorem Prostatae, fed tan-

---

dem verum sperma ejaculantur involuntarie. Licet enim pariter pollutionis diurnae nomine insigniri possit, nostra tamen, de qua sermo est, invito et *in scio aegroto, absque illo stimulo, vel corporum penis cavernosorum distensione* et a debilitate accidit, quum e contrario illa ex abundantia spermatis et orgasmo sanguinis in robustissimis oriatur. Similem jacturam epilepticos sub insultu plerumque facere non ignoras.

Di-



Discrepat etiam pollutio haec diurna

b) a Gonorrhoea sic dicta simplici, iuxta vocis etymologiam vera, seu a continuo feminis stillicidio, quod se observasse quidam dicunt in illis, qui Onaniae vitio addicti organis generationi inservientibus insignem debilitatem inducunt, et quod vivis adeo coloribus adumbravit ill. TISSOT; non enim continuo rivo sperma in pollutione diurna perdunt aegri, nec assidua excretionem, vti mulieres Leu-



corrhoëa laborantes, sed ejaculantur simul et semel, quare pollutionis nomen ipsi convenit. In genere tam parum satisfaciunt optimorum Pathologorum, CULLENII, SAVVAGES, GAVBII etc. descriptiones Gonorrhoeae simplicis, et morbus toties cum alio confunditur, ut dubium supersit, quid sibi proprie hac denominatione velint. Nisi me omnia fallunt Gonorrhoea haec simplex ideam continui, vel assidui effluviij junctam habet, adeo

adeo ut TISSOTVS distinctis  
 verbis dicat: *idem morbus cum  
 fluore albo mulierum.* Hoc  
 vero continuum spermatis stil-  
 liciidum vereor, ne pauci sint  
 medicorum qui ex autopsia  
 ab alio morbo praesertim illo  
 Nro. a) delineato distinxerunt.  
 Verum discrimen inter Go-  
 norrhoeam et Pollutionem me-  
 ae notioni conforme tradit Fr.  
 HOFFMANN med. rat. syst.  
 T. IV. p. 507.

c) Est et alia verae pollutionis  
 diurnae species a nostra di-  
 ver-



versa, quam pro rarissima habeo, nec ullibi descripta, digna igitur, quam paucis Tibi describam, quamvis non nisi semel a me ipso observatam. Emplastrum e Cantharidibus commune viro 30 annorum brachio applicueram 1768, unde post paucas horas subsequente nocte plus una vice pollutionem patiebatur, hocque ipsum phaenomenon ansam ipsi dedit narrandi, et *interdum* se involuntarie verum semen ejaculari post simplicem nonnunquam  
odo-



odorem Cantharidum; imo in eodem periculo se versari, si de Cantharidibus tantummodo fermo sit. Caeteroquin organa generationi dicata externa in hoc viro perfecte formata nullum praeternaturalis debilitatis vestigium exhibent, plurimum infantum pater evasit ex eo tempore, quamvis in juventute ad seram usque adolescentiam masturbationibus semen se elicuisse non inficias eat. Vera haec pollutio diurna cum nostra pariter non con-

---

congruit, hanc enim semper  
absque ullo eiusmodi aphro-  
disiaco obseruavi.

- d) Qua latenter vel et luculen-  
ter haemorrhoidibus laborant,  
geniturae aliquid simile cum  
lotio subinde reddere, instar  
cremoris avenae spissiusculi,  
non solum sciunt hodie omnes,  
qui uroscopiam non nimis su-  
perciliose ubivis contemnunt,  
sed HIPPOCRATES jam ob-  
servavit. Pro spermate vero  
illud haberes ex candido co-  
lore, vel et ideo quia in urina  
sub-



subsidet, atque mox fundum  
vasis petit. Sed puris aliquid  
analogum sine ulla continui  
solutione, sub morboſo orga-  
norum ſecretiorum ſtatu in-  
terdum ſecerni poſſe, BRE-  
DELIVS noſter \*) jam du-  
dum pro ea qua erat ſagaci-  
tate ſubſecerat, et obſervata  
aliorum poſt illum abunde con-  
firmarunt. Et ſi etiam aliter  
hoc phaenomenon explicari ſe-  
cundum DARWINI angli re-  
centioris theoriam poſſet, vel  
ſta-

\*) diſſ. de Tabefcentibus Gött. 1756. p. 17.



status perversus vasorum refo-  
bentium in culpa esse vti cer-  
tius id evenit in infantibus sub  
verminatione vrinam lacteam  
reddentibus, tanta veri sperma-  
tis jactura tamen in haemor-  
rhoidariis longe alias sequelas  
haberet. Quicquid interim  
sit, sub pollutione diurna jam  
delineanda saltem hic non in-  
telligo illam effusionem, ibi  
enim nunquam cum lotio mi-  
stum semen secedit.

## §. 2.

Quis quaeso aliam adhuc pollutionis diurnae speciem residuam esse credet, nisi cum dictis congruat? Haec vero ipsa ratio est, cur consilium de scribendo libello capiam. Primus, qui mihi novam hanc marcescentiae causam detegendi ansam dedit ante 10, et quod excurrit, annos, publico jam munere fungitur, juvenis tunc aliquot supra 20 annorum. E longo tempore cum spasticis pathematibus et Cacochylia ille luctatus, macieque confectus, aliis ante me

B

in



in consilium vocatis medicis  
pro Hypochondriaco imposue-  
rat. Aderant revera quae con-  
vincere poterant symptomata, la-  
tere fomitem morbi in Hypochon-  
driis; sub prostratione virium sci-  
licet, perversa penitus vel dejecta  
digestione (vigore tamen appetitus)  
et vultus pallore, animi aeterna  
morositate solitudinem anxie anqui-  
rens atque pusillanimis videbatur,  
vultum sub colloquiis rubore sub-  
inde suffusum gerens, anxia qua-  
dam inquietudine vexabatur, simul-  
que certa quaedam animi hebetudo  
et

et fatuitas — sub voluntaria pollutione et alias solennis — in ipso conspicua erat. Veneris castra ille olim secutus et foeda lue multatus reliquias huius non solum ipse, vti in aliis ejusmodi aegrotis fieri solet, metuebat, sed licet nihil jam symptomatum venereorum residuum esset, medico tamen priori haud aegre persuasit, vt per longum tempus mercurialibus uteretur; sub horum usu autem morbus primarius, haecenus praetervisa causa vera in peius semper ruebat, ut itaque ab illis abstinence-



ret medicus atque tonica in auxilium vocaret, praesertim aquas martiales etc. morbum tunc simplicem Hypochondriasin esse ratus. At nec hac medendi ratione profecit aeger, meamque opem imploravit. Nullam omnino marcoris causam, nec in reliquiis mali venerei, nec in quacunque inanitione, vel febre ego inveniens interrogavi, anne Veneri plus solito litaret, vel et involuntarie noctu semen perderet, vel studio proliceret; ad quae omnia quum negative, juncto fere juramento responderet, dimisi illum,

lum, hortatus tantum, ut jura-  
menti memor nihil reticeret, nec  
quidquam remediorum me ipsi pro-  
pinaturum esse monui, nisi exa-  
ctius omnia antea ipse explorasset.  
Rediit post aliquot dies, et se  
aliquid spermatis simile reddere  
affirmavit. Cognita postea atten-  
tius mali causa, quam pluribus  
infra §. 3. explicabo, et veritate  
observationis aegroti, medela mi-  
nus difficilis evasit. Intra paucos  
menses cum perfecta sanitate postea  
in gratiam rediit aeger, et effe-  
ctus remediorum fortunatus pro-



bavit porro, veram causam sublatam esse.

Similis in pluribus aliis successus luculentum fuit documentum, causam eandem Tabescentiae et in castissimis frequentius subsistere, quam crederes. Maximi igitur momenti est, ut et in aliis aegrotis eam causam medentes investigent. Docuit me nimirum experientia, subesse eandem hanc marcescentiae causam et in iis nonnunquam, quos phthisicos veros pronunciare nemo haesitaret; symptomata enim saepe primum stadium

dium Phthiseos pulmonalis spasticum — insidiosum vocarem — referunt, ac tussicula, quam licet rarius, comitantur, simul Phthiseos metum auget, vel saltem rebellem hunc morbus adeo mentitur, ut vulgari, ad longe aliam Phthiseos causam solummodo applicabili methodo illi mederi, et morbum resolventibus, diluentibus, bechicis, omnisque generis evacuantibus illum adoriri haud dubitares, ineluctabili tamen ejusmodi aegrorum, qui opposita potius exigunt, exitio. Interim in



veram Tabem tandem terminari morbum nostrum non solum posse sed debere, nisi principiis obviam eas, haud obscurum est.

Phthyseos nervosae titulo saepenumero hunc morbum insigniunt, ubi causa ignota ad asylum ignorantiae — nervos puta, — confugiendi pro invenienda theoria necessitas urget. Verum enimvero ex ingenti causarum numero, quae Phthisin hanc, vel aliam veram producunt, veram indagare, eamque remove, hic opus, hic labor est.

## §. 3.

## Imago.

E supra delineatis aegroti affectibus nisi morbus ipse abunde jam dignosci possit, subjungam sequentes ad naturam ejus exactius cognoscendam, quum in multis aliis postea eundem observandi occasionem mihi obtulerit praxis numerosissima. De Marcoris dicta causa nimirum suspicio est, quando hominem macie confectum, simul pallidum torpentem, hebetem vides, effoeminatum, imbecillem, languidum, cruribus potissimum impotentem, elum-

B 5

bem,



bem, pigrum, habitu cacochymico, oculis concavis. Queruntur tales aegroti de nullo omnino dolore; digestionis quidem everſa ſunt praefidia, ſed ad voracitatem uſque appetitus viget, et proſtratas vires poſt prandium inſigniter refocillatas ſentiunt, eo magis incommodum naſturi, ſi palato nimis indulgent; concoctionis enim organiſ aequae ac reliquis maximopere debilitatis, quo voracius et citius deglutiant, eo magis abdomen ex illa Ventriculi et inteſtinorum atonia inflatur, cum anxietatis quada-

dam

dam inquieta sensatione, sine qua et alio diei tempore hominum societates fugiunt anxii et tristes; — in genere tristitiae magis quam gaudio cor patet, vel facilius tristi quam laeto eventu afficiuntur. Simul certa quaedam animi hebetudo — fatuitas (pollutionis voluntariae etiam comes) in hisce aegris conspicua est. Somno vel optimo tam parum vires recuperant, ut jam matutinis horis oscitentur pandiculantes. Memoria et visus prae aliis magnopere debilitantur, donec tandem profundiores

ra-



radices agens morbus ingenti illo  
symptomatum firmate excipitur,  
quae veram Tabem pedissequam  
habere solent. Sub his omnibus  
nihil initio causarum moralium,  
vel pathematum animi, moero-  
ris etc. subest, nec vlla visceris  
cujusdam labes verosimilis, nulla  
de nidulante quodam et carnem  
depascente miasmate suspicio, nihil  
omnino doloris, nisi obtusi subin-  
de prementis in hypochondriis,  
ex debilitatis et ultra diametrum  
naturalem expansis intestinis facile  
explicandi. Hisce omnibus si ple-  
na-

nariam apyrexiam et insignem virium fracturam a nulla manifesta exinanitione explicabilem addis, dictam morbi causam latere persuasum Tibi habeas, quam ex observatione in plurimis qui mihi occurrerunt, abstractam Tibi offerre animus erat.

Vidi coelebes et maritos huic Tabis speciei vnice ex hac causa obnoxios sceletorum instar obambulantes miseram vitam vivere, et aucta quotidie virium jactura in adolescentia senescere.

E sylva observationum singulas adducere piget; paucis, omnes, quot-



---

quotquot vidi aetatis fuerunt ab anno 25 ad quadragesimum usque, — omnes vel masturbacionibus vel nimio veneris usu huic malo ansam dederant, vel — Gonorrhoea a coitu cum infecta foemina affecti fuerant.

Durat autem pollutio diurna cum sequelis quamvis ex longo tempore semen voluntario aegroti non amplius profuderint ac castitati quam maxime studeant, eo-que a morbo, quem cl. TISSOT descripsit peculiari libro, diversus est. Morbus noster praeterea non  
sem-

semper sub onanismo, vel manu-  
stratione, et voluntaria feminis eja-  
culatione nascitur, sed invito pror-  
fus et incio aegro alias quoque  
castissimo.

Dubito etiam an sequelae Ona-  
nismi per se absque subsequente  
hac pollutione diurna adeo sint  
periculosae, et pedissequam habeat  
turpis consuetudo tabem, vel  
aliud eiusdem generis morbum,  
nisi prius pollutio haec diurna  
inde orta sit. Quidni enim ex  
ingenti numero illorum qui inge-  
nue satis vitium fatentur in ju-  
ven-



ventute olim commissum, et quo non datur malum magis unquam epidemicum, quidni plures, dico, in tabem inciderent? Hanc itaque pollutionem diurnam tollere et in eam potissimum inquirere magni momenti est etiam in iis, qui onaniae turpitudine et crimine jam ex longa annorum serie carent; superfluae sunt hortationes, ubi nihil flagitii amplius subest. Aegroti vero huiusmodi ipsi nunquam feminis effusionem animadvertunt, quia statim post excretionem lotii et semen elabitur sub laeviori ad egeren-

rendam alvum nifu, absque ullo voluptatis vel titillationis sensu, sicque semper excrementis miscetur, nec ullum amplius post exoneratum ventrem vestigium nisi aliquot guttularum in indusio relinquit.

Ut certior evadas de suspecta hac Tabescentiae causa, opus est, ut aeger urinam reddat, tuncque pro exoneranda alvo ita infideat Lasano, ut penis excludatur, vel impediatur, quo minus id quod ex urethra tunc sub excretionem alvi profilit, excrementis mistum



---

visum effugiat. <sup>2</sup>Baro ~~effusi~~ feminis copia sub hac pollutione diurna illam aequat, quam nocturna plerumque perdunt alii; sufficit interim, verum semen emanare, et — quod haud laevis momenti est — fere quotidie vel saepius sub qualibet alvi excretionem, et — absque voluptatis sensu.

## §. 4.

## Historia pollutionis diurnae.

Tam ignota haec pollutionis species est, ut et oculatissimos in arte nostra observatores, priscos ac recentiores, et inter illos BOERHAVIUM praeterierit, isque potius expressis verbis neget: *se unquam vidisse semen effusum fuisse absque tentigine venerea — non esse verum semen in teste secretum et in vesiculis adservatum — et rarissimum morbum esse oportere.* \*) HALLERVS cum

C 2 prae-

\*) Praelect. in pr. institut. §. 776.



praeceptore suo et SWAMMER-  
DAMMIO quem harum rerum pe-  
ritissimum vocat, pariter semen  
absque tentigine venerea effundi  
posse negat, dicens: *si id accidat,  
e prostata venisse potuit, \**) sed  
prudenter addit: *potuit in his or-  
ganis morbus fuisse.*

Vides, Mi HENSLERE, quan-  
topere hic hallucinatus sit uterque,  
idque magis mirari subit, quum  
anatomicus superioris seculi (TAU-  
VRV) manifeste jam et nomina-  
tim dicat, sperma a minima com-  
pres-

\*) Element. Physiol. Tom. VII. p. 554.

pressione vesicularum feminalium  
elabi posse post alvi vel lotii ex-  
cretionem in iis, qui Venere  
abutuntur. \*)

Ne diserte contradicat BOER-  
HAAVIO, monet tantum MOR-  
GAGNI, posse omnino sine venereis  
cogitationibus semen defluere, ut  
a calidioris clysmatis injectione  
aut a duriorum alvi recremento-  
rum excretionem, erosio vel laxiori-  
bus oris foraminulorum, per quae  
semen in urethram descendit, sed

C 3            hae-

\*) Nouvelle Anatomie raisonnée. 1693.  
p. 164.



haesitanter subjungit: *nisi et illis id, quod exit, semper paucum adeo et tale sit, ut a prostata deducere liceat, his vero nunquam esse queat e vesiculis seminalibus. \*)*

Ex adductis saltem liquet, effusum hac ratione liquorem nunquam autores hosce vidisse vel examinasse ut de natura veri spermatis convincantur. At vides, mea qualicunque experimentia illud extra dubitationis aleam poni.

Vi-

\*) de Causs. et sed. morbor. epist. 44.  
artic. 16.

Vidit quidem ill. **TISSOT** plures qui absque ulla tentigine venerea effluxu genitalis liquoris premebantur, nec diffitetur, vesicularum feminalium resolutionem integram possibilem esse, sed differt ille a pollutione diurna, quia expressis verbis: *continuo* effluxu spermen stillasse addit. \*)

Non legisse videntur qui effusionem feminis sine voluptate negant, quod **CELSVS** jam ante **TISSOTVM** pariter directis ver-

C 4                      bis

\*) de Morbis ex Manuscr. suprat.



bis de hac Gonorrhoea habet \*):  
*est etiam circa naturalia vitium,*  
*nimia profusio seminis, quod sine*  
*venere, sine nocturnis imaginationi-*  
*bus sic fertur, ut interposito spa-*  
*tio hominem tabe consumat.* Quod si  
plures eiusmodi descriptiones hu-  
jus Gonorrhoeae existerent fides  
simul ac singulis observationibus  
confirmatae, dubium quod supra  
§. I. circa Gonorrhoeam simpli-  
cem dictam proposui, non amplius  
locum haberet. At perverse quo-  
que alium morbum *Gonorrhoeae*  
no-

\*) lib. IV. cap. 21.

nomine insignivit Pathologorum ignorantia, sub quo nihil omnino feminis veri aegri amittunt, illum puto ab impuro coitu natum, cui medicaſtri ad noſtrum uſque aevum, etymologiam vocis magis quam ſcaturiginem fluidi ſecuti, et a veri ſpermatis ſtillicidio neſcio quod malum metuentes, perverſam pariter medendi methodum adſtringendi, vel effluxum cohibendi annifi ſunt notabili ſane aegrorum pernicie. Confundunt nimirum id quod praeter naturam et morboſe e lacunis vel ſinubus



urethrae excernitur cum liquore genitali in receptaculis feminalibus adservato, prouti alii iterum Gonorrhoeam simplicem vocant, ubi liquoris prostatici aliquid ex urethra manare vident.

Utinam! solus hic esset morbus, cui vel empiria, vel Nosologorum error falsum prorsus titulum imposuit; sed scatent proh! dolor nosologiae pluribus, inter quos facili negotio memoriae *Tuae* occurrent! *Rhume de Cerveau*, *Vers solitaire*, *Rapha-*

*phania*, *Comedones* etc. \*) quorum denominatio saepe aequae funesta fuit praxi clinicae, ac medicamentorum similis titulus, Cephalicorum, antiscorbuticorum, cordialium alexipharmacorum, antidyentericorum epilepticorum, pleuriticorum etc., quo ad hunc usque diem compositiones quaedam in dispensatoriis superbiunt.

Sed

\*) Anilem de Comedonibus fabulam a nostratibus diu explosam et exhibitam recentissime adhuc narrari instar veritatis a cl. LORRY et alio ejusdem gentis autore, nosti ex *Memoires de la Société de Medecine à Paris*, Vol. I.



Sed redeo e diverticulo in  
viam. Morbum a CELSO depi-  
ctum, *continuum* Gonorrhoeam esse,  
manifeste satis interpretatus est  
ARETAEVS \*). *Neque semen vel  
in somniis cohibere possumus, ve-  
rum, seu quis vigilet, seu dormiat,  
continens profusio est.* De HIPPO-  
CRATIS aegro, pollutionibus no-  
cturnis laborante, et 30<sup>mo</sup> aetatis  
anno tabe extincto, dubius haereo,  
an diurnae, quam descripsi, obnoxius  
fuerit, simpliciter etenim et *inter-  
diu* saepe effluxisse semen memo-  
riae

\*) de diurnis, lib. II. cap. 5.

riae prodidit Cous \*). Inscio fal-  
tem aegro id non accidisse, et a  
nostra pollutione ideo illam di-  
screpare, abunde ex observatione  
constat.

\*) Epidem. VI. Sect. VIII. pag. 822.  
edit. Linden.



## Sequelae.

Pollutiones diurnae sequelae partim ex antea dictis jam patent, partim sunt prorsus eadem, quas a quacunque alia feminis jactura nimia ortas mascule depinxit ill. TISSOT, earumque imaginem vivam fatis novis iterum adumbrare velle coloribus, inutile foret. Quaedam e penu propriae experientiae memoratu digna subjungam. Periclitantur maxime hujusmodi aegri ineunte aestatae, ob plethoram et procreandi facultatem

tem generalem, per totum regnum animale tunc temporis notabiliter auctam. Quo major in vesiculis feminalibus abundantia, eo majus periculum jacturam faciendi.

Multos restitui methodo infra indicanda; — plures cum virium languore et pathematibus Hypochondriasin mentientibus vitam trahunt; — plerique facultate sobolem procreandi, atque femine prolifico nihilominus gaudent; neminem ex omnibus, quotquot vidi, sequelis hujus pollutionis extinctum vidi; obiit quidem ante hos 18 circi-

ter



ter annos, antequam hanc Tabis  
causam detexeram in aliis, ado-  
lescens 30 circiter annorum, quem  
praeceptor ipse anno aetatis 10<sup>mo</sup>,  
incredibile dictu! onanismi scelus  
turpiter docuerat, et qui ineffabili  
fere malorum omnis generis agmi-  
ne corpore animaque quam maxi-  
me debilitatus occubuit. De hoc  
quidem non dubito, quin crimen  
mihi ingenue fassus, et per lon-  
gam annorum seriem jam abstinens,  
in pollutionem hanc diurnam inci-  
derit, peccata praeceptoris insons  
in corpore luens.

Cae-

Caeteroquin aegrotus pollutioni huic obnoxius, marcore pedetentim confumitur; viribus animae et corporis magis magisque attritis, et Tabe vera dorfali perit tandem effoetum corpus, nisi causa in tempore detegatur; vel labes, uti in plerisque aliis morbis chronicis fieri solet, pulmonibus affricatur et in veram phthisin degenerat.

Si ullus unquam ex abundantia feminis ortus est morbus, de quo quidem magnorum virorum pace dubito, nec Te, Mi HENSLERE, consentire diffido, illuc saltem non

D                      refe-



referendus est quem descripsi, licet augeri hac ratione, cum jam ortus est, possit. Superfluum sane natura raro e corpore eliminare solet cum sanitatis dispendio, et morbosam esse liquidi excretionem, pedissequa symptomata haud difficulter tunc probant. Num ptyalismum unquam sanitate illaesa ferunt, qui per longum tempus, sua sponte et sine medicamentis sialagogis illum experiuntur?

## §. 6.

## Medela.

Supereſt ut frequentis hujus morbi medelam adjiciam. Lex generalis: *quicquid cauſſam debilitatis aufert, evadit remedium tonicum*, et tonus per ſe redit, *quavis proprie non ſit roborans*, et hic utiliter applicatur. Prouti enim in morbis acutis e putredine gaſtrica cum ingenti virium fractura initio ſtatim adorientibus magnopere coecutiunt, qui roborantia ſtatim initio illis opponere fatagunt antequam aliquid adver-



fus veram debilitatis causam moliantur: sic vera etiam nutrientia, Lacticia, juscula viperina, carniū etc. in hoc morbo chronico non conducunt; feminis copiam potius augendo, ac vesiculas feminales extendendo, novae compressioni, per duriora excrementa facilius nasciturae ansam dabunt. Cavendum autem, ne excrementa longiori in intestino recto mora aut alia ratione nimis indurescant, vel moles eorum simulque diameter intestini augeatur. Facilis aetiologia. Ab expansione intestini  
me-

mechanice comprimuntur vesiculae  
feminales, longiori fotu et calore,  
vel et a quocunque alio stimulo in  
vicinia, in vesica urinaria etc. Ex  
eadem ratione quoque illi, qui  
nocturnis pollutionibus vexantur,  
vesica urinaria scilicet lotio magis  
distenta, unice versus finem noctis  
frequentiore patiuntur feminis ef-  
fusionem involuntariam quam in-  
eunte nocte. At non solum a ma-  
jori distensione intestini recti et  
compressione externa, verum etiam  
a quocunque stimulo alio haemor-  
rhoidum, Ascaridum, flatuum etc.



ibidem loci in vesiculas feminales laxiores agente, semen frequentius in hujusmodi aegris manat. Ante oculos adhuc versatur, qui per plures annos diarrhoea chronica a stimulo haemorrhoidali, adversus omnia rebeli, interdum luctatus, quavis nocte plures ex hac ipsa caussa pollutiones passus, sub alius medici cura misere contabescit.

Blandissimo igitur clysmate eluendum curo intestinum, quotidie semel vel alternis diebus tepide injiciendo. Simpliciter illud ingreditur decoctum Altheae, Avenae,  
vel

vel furfurum triticeorum, sine ullo alio remedio irritante; ficque non solum majorem intestini distentionem praecaveo, sed demulcendo stimulum quemcunque alium etiam subduco, compesco.

Praeterea autem opus est, ut aeger sub exacta a Venere continetia omnem inter desidendum conatum vel nifum nimium evitet, et cuicunque tenesmo ratione jam dicta obviam eat; tandemque, quod maximi momenti est, Lasano vel fellae pro exonerando ventre paululum altiori infideat, hoc est, ge-



---

nua non nimis sint flexa sed angulum rectum efficiant. Quemadmodum cautela haec infantes aliosque quibus intestinum rectum est prolapsum, vel et mulieres sub procidentia uteri, juvat, ita et in morbo nostro saepe absque aliis medicamentis cum tempore auxilium affert. Tenesmi vero molestia imminuitur si scybula non nimis compacta in intestino haerent, vel erosioni ab alia causa natae occurras.

Fugienda ex eadem ratione sunt, quae ad Gonorrhoeam impuram  
quo-

quoque perperam ab agyrtis et medicastriis propinari solent; adstringentia interna, multo magis styptica; virtutem adstringendi enim magis in intestinorum tractu exferentia, et vix ulterius resorberi nescia, metum excitant, ne faeces alvinae magis compactae inde redantur, ac morbi magna causa augeatur. In genere in quavis Apocenosii raro adstringentium, multo rarius stypticorum usum impune ferunt aegroti. Conveniunt potius, quae ad debilitatem a Veneris abusu in genere commendat experientissimus

mus



mus TISSOT, cujus merita seculo nostro apud medicos hodiernos nomen TISSOTIANI conciliarunt. Damnanda esse e contrario, quae debilitatem quamcunque augent, et quae empirica methodo ad omnes Tabis species, nullo habito ad causam respectu, exhibentur, ferum lactis e. g. aquas minerales alcalinas non martiales ptisanas et alia diluentia, non est quod moneam.

Quem CELSVS et post eum ARETAEVS laudarunt, usum balneorum frigidissimorum et esum alimen-

mentorum pariter frigidorum prae aliis auxiliis hic eligendum esse, ratio cum experientia me docuit. Interim non sufficiunt balnea illa generalia, sed topica, parti affectae quam proxime admovenda, cui scopo inserviunt simplex aqua, saepius de die perineo applicanda.

In simili debilitate CAELIUS AURELIANUS jam balnea localia, seu spongiam frigida et aceto madidam genitalibus imposuit \*). Vidi, qui unica hac externorum ope plus profecerunt aliquot mensium

\*) pag. 579. edit. Allmeloveen. Amst.



fium spatio, quam exquisitissimo internorum selectu. Gelidissima nimirum inferiorem urethrae partem Perineum et viciniam lavare jubeo pluries de die; praeterea, quoties fieri poterit, linteamina frigida madida iis ipsis partibus impono.

Pro interno usu praeter dicta conducere observavi ubique Martem, vel sub quacunque forma e pharmacopolio depromptum (cujus virtus vero connubio Corticis peruviani insigniter increfcit) vel Aquas martiales, quas quidem nunquam,

quam, vel rarius saltem, larga quantitate, sed per plures menses refracta dosi ad aliquot pocula quotidie jejune parvis cyathis majori utilitate propinare soleo, quamdiu pulmonum parenchyma ab omni labe immune, nec malum per longas nimis invaluit moras.

Fac valeas, nec diutius historiam luis venereae novam in scriniis retineas, quam ex aliquo tempore Te contexere spem facis, et quam avide expectant omnes, qui Tuam scribendi rationem ex aliis scriptis publici juris jam a Te factis



etis norunt, simulque sciunt,  
quanta solertia undique, ex Italia  
ipsa, pro conscribenda illa historia  
luis, ac eruenda veritate, conqui-  
siveris materiem. Promisso Tuo  
salivam movisti, eo crudelitatis  
ergo non procedas, ut homini  
esculento ore ferculum retractes.

Dab. Hannoverae ineunte anno  
1782.

---

